



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. An mandata, seu commissiones gratiæ exspirent morte committentis,
si res sit integra, vel non integra?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

manet, quamvis persona, cui inhærebat, mortua sit, ita etiam delegatio talis per mortem personæ delegantis non expirat, etiam si res adhuc integra sit; plerumque tamen commissiones seu delegationes non à Dignitate, sed à persona procedunt.

§. V.

An mandata, seu commissiones gratia expirent morte committentis, si res sit integra, vel non integra?

Rescripta gratiæ non expirant morte concedentis, licet res integra adhuc sit, si gratia vel beneficium à Principe concessum, & quod decet esse permanent, juxta regulam 16. in 6. sit acceptatum, quales gratiæ factæ sunt plurimæ facultates comunitatibus, aut aliis absolute & indereterminate concessæ, absolventi, v. g. dispensandi, non residendi in loco beneficii &c. imò etiam si nondum acceptatum fuerit beneficium alicui factum, seu facta gratia, non expirat morte concedentis, etiam si nondum cœpta fuerit executioni mandari, ita ut executio talis gratiæ fieri possit ab executoribus, nominatis etiam post mortem concedentis. *c. si super 9. h. 1. in 6.* siue meri, siue mixti executores fuerint; si tamen gratia facta nondum est, sed mandatario faciendâ committitur, tum si res adhuc est integra, expirat per mortem committentis, quia facilius impeditur faciendâ, quàm tollatur factum juxta gloss. in citatum *c. si super 17. facta*: & hinc si Pontifex mandat, ut alicui conferatur beneficium, vel cum illo dispensetur, si cognita causâ videatur gratia faciendâ, expirat morte talis concedentis gratia, quæ primùm est faciendâ, si res

moriente concedente adhuc integra sit. Si verò à Papa alicui conferatur beneficium cum commissione ad ordinarium, ut præbenda vacans, aut proximè vacatura conferatur, vel si dispenser cum eo Pontifex, preces tamen examinandas committat ordinario, non expirat gratia talis per mortem committentis, sed præbenda illi vi talis commissionis conferenda est, quamvis prius mortuus fuerit committens, aut preces nondum ante mortem committentis examinatæ fuerint, quia gratia jam facta fuit.

§. VI.

An & quomodo potestas judicis delegati finiatur per revocationem delegantis?

Finiri etiam jurisdictionem delegatam per revocationem ipsius ordinarii judicis, qui eam commisit, si res sit integra, indubitati juris est, siue deinde delegatio facta fuerit ad universitatem causarum, siue ad causam particularem, siue pro foro interno, siue pro foro externo, siue voluntariæ jurisdictionis commissio illa fuerit, siue contentiosæ, cum talis revocans utatur jure suo, & quasi re propriâ. Imò etiam si cœptum sit à delegato iudice iudicium, potest tamen iudex ordinarius causam alteri delegatam ad se revocare (juxta *l. 1. §. 8. ff. de iudiciis junct. gloss. 17. iudicium*) non tantùm validè, sed etiam licitè, si iusta causa revocandi subsit; ita tamen ut hæc revocatio vim suam non habeat, nisi fuerit delegato intimata, & literæ v. g. revocationis si fuerint præsentatæ, prout sumitur ex *c. cum contingat 24. de rescript.* sicut enim delegatio vim suam non habet prius, quàm